



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

48. An Confessarius unius Episcopatus possit absolvere poenitentem
alterius Episcopatus à casibus reservatis? Et an hoc etiam à fortiori
procedat in Confessariis Regularibus, modo poenitens non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

eis specialiter deputatis, occurratur prudentius cum meliori medicina atrocioribus peccatis: ut enim dicitur *sess. 14. cap. 7.* reservatio fit, ut atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absoluerentur. Nam melius consilium & aptior medicina conferri potest ab Episcopis, & ab eisdem deputatis, quam à singulis Confessariis indifferenter, sed consilium & medicina omnibus peccatis indifferenter est applicabilis: ergo reservatio ad hunc finem facta comprehendit peccata, tam futura, quam præterita. Præterea Legislator potest peccata etiam commissa ante promulgationem nondum remissa per absolutionem sibi expresse reservare, ut omnes debent concedere: ergo in reservatione non est necessarium ut Legislator moueatur à sola obuiatione, sed aliunde etiam moueri potest, nempe ut melius agatur cum peccatore per prælatum, aut Pœnitentiarium prudentiorem. Vide etiam responsiones ad alia argumenta Pœnitentiarium. Vide etiam responsiones ad alia argumenta Pœnitentiarium. Vide etiam responsiones ad alia argumenta Pœnitentiarium.

* Sup. hoc supra in Ref. 38 & 39 & in aliis §. caru notationum primarum,

4. * Et quidem sicut ignorantes reservationes, adhuc illis subiciuntur ut docet Mazuchellus, de *casib. refer. disputat. 1. quæst. 4. n. 16.* Lupus, *part. 1. dist. 4. articl. 2. difficult. 1.* Floronus *part. 1. cap. 3. num. 14.* Auersa, *quæst. 17. de pœnit. sect. 5. §. Satis tamen:* ergo sicut non sunt excusandi à reservatione propter ignorantiam, ita neque propter tempus antecedens promulgationem reservationis idem ignorantes. Quare peccata commissa ante reservationem iudicanda sunt, non secundum legem quæ vigeat tempore delicti, sed per nouam legem, quæ est in obseruantia tempore absolutionis: nam Confessarius debet inspicere, obseruare legem quæ illi prohibet absolutionem à talibus peccatis, ita quod omnia, & sola peccata quatenus commissa, cadunt sub iudice absoluenda, provt iam commissa sunt, & non committenda.

RESOL. XLVI.

An in casibus reservatis, & excommunicationibus datur paruitas materiæ? Ex part. 5. tr. 5. Ref. 46.

Sup. hoc ex doctrina Ref. 2. not. seq. per totam, signatur in §. vi.

§. 1. Respondeo affirmatiue, quia modicitas rei quemadmodum excusat à mortali, ita etiam excusabit à reservatione, v.g. modicitas rei subtractæ in Ecclesia quemadmodum excusat à peccato mortali sacrilegij, ita quoque à reservatione; imò licet subtractor huiusmodi habuisset intentionem plura furripendi, quamvis eo casu mortaliter peccaret; ex *c. 6. finali. 14. quæst. 6.* tamen sacrilegium illud non esset reservatum, quippe requiritur quod peccatum mortale reservatum, sit tale ex quantitate operis externi, non ex relatione ad intentionem tantum, quia in modico non præsumitur dolus, & propterea pro eo non statuitur pœna, arg. *cap. & si quæstiones, Extrauag. de simonia,* & ita sentit Henriquez de *Pœn. sacr. lib. 3. c. 14. §. 6.* Item si paucis alloquaris Monialem, vel transiens illam salutes, aut salutandi respondeas, siue de statu eius ipsam interroges, siue interrogatus respondeas, non incidis in excommunicationem propterea latam. Iacob. de *Graff. decis. lib. 4. cap. 8. n. 5.* & per consequens talis allocutio non erit casus reservatus. Et hæc omnia docet etiam Finellius de *cas. referu. cap. 5. nu. 8.* cui adde Bellocchium in *praxi Theolog. moral. part. 2. q. 9. n. 136.*

* Sup. hoc in tom. 5. ita 1. Ref. 24. §. Nota sexto. & in Refol. 124 à lin. 3.

2. RESOL. XLVI. pag. 154. in fine resol. hæc addantur: Notandum est etiam hic, quod sicut in excommunicatione datur paruitas materiæ, sic

etiam danda est in actionibus pro quibus irregularitas incurritur, & ideo ratione paruitas materiæ excusandus est ab incurfione irregularitatis, si quis recedat ut ascendat alterum gradum scale. Ita Henricus, *lib. 1. 4. c. 12. n. 7.* & post illum Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 2. 1. diff. 27. num. 13.*

3. Sed ego puto in tali casu, & similibus non solum aliquem excusari, ab irregularitate ratione paruitatis materiæ, sed quia probabiliter soli illi sunt irregulares ex defectu lenitatis, qui cooperantur, nec tanquam ministri iustitiæ; ex quo fit, alios omnes qui cum non sint ministri iustitiæ, videntur aliquid facere, aut dicere, ex quo mors citius sequitur, non esse irregulares. Ita ego alibi cum Vasq. Turriano, Hurtado & me citato nouissimè hanc sententiam etiam Cœlest. in *comp. Theol. mor. tr. 4. c. 5. q. 1.* docet

RESOL. XLVII.

An qui obtinuit licentiam absoluendi aliquem à casibus reservatis, in quos incidit, & postea inueniat illum incidisse etiam in dictis casibus post licentiam obtentam, an inquam, possit illum absolueri? Et an peregrinus, qui habet casum reservatum in sua Diocesi, si non est reservatus eo in loco, vbi confiteatur, possit absolui ab omni eo, qui illum alius possit audire? Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 109.

§. 1. Hæc casus frequenter potest accidere, & alibi respondeo cum Ioanne Præposito in *3. part. D. Thom. 9. q. 9. de reservatione casuum, dub. 3. n. 22.* vbi sic ait: Si Parocho petenti per literas potestatem absoluendi aliquem à casibus reservatis in quos incidit, ea facultas concedatur, & pœnitens rursus incidat in similem casum antequam confiteatur, videtur etiam posse ab illo absolui, quia petitio & concessio tacite intelliguntur de similibus casibus, qui post illam concessionem clauibus bona fide subiiciuntur, quod etiam videtur verum, licet Parochus scripserit non esse periculum relapsus, quia eo non obitante concessio est absolute facta, & independenter ab eo quod non relaberetur, neque id adiciendo Parochus bona fide recepit Episcopum. Ita ille, qui etiam ibi notat, peregrinum habentem casum reservatum in sua diocesi, si non sit reservatus eo loco vbi confiteatur, posse absolui ab omni eo, qui illum alius possit audire; quod est notandum, ut ego alibi notavi, contra illos qui asserunt in tali casu Confessarium illum si non habeat potestatem absoluendi à casibus reservatis, non posse si prædictum absolueri; sed tunc recedas ab opinione affirmatiua.

RESOL. XLVIII.

An Confessarius vnius Episcopatus possit absolueri penitentem alterius Episcopatus à casibus reservatis? Et an hoc etiam procedat in Confessariis Regularibus, modo penitens hoc non efficiat in fraudem proprii ordinarij? Ex part. 3. tractat. 4. Refol. 102. aliis 103.

§. 1. DE hac quæstione alibi actum est, & ideo nunc breuiter dico quod negatiuam sententiam docent Bellocchius in *praxi Theol. mor. p. 1. q. 2. n. 24.* Floronus de *cas. referu. p. 1. cap. 4. §. 1. n. 5.* & Sotus in *4. dist. 18. q. 1. art. 4.* vide etiam Chapeauillam in *de cas. referu. p. 1. cap. 4. diff. 9.* Vgolinum de *potest. Episc. cap. 36. num. 3.* & alios.